

In tertio casu, TETRADIUS domino diligenter inquisito, nec detecto, per se pecuniam probabiliter superfluam, partim restituere deberet pro rata dubii; quia dubium illud possessionem præcessit, juxta id quod superius dictum est. Sed in præsentī casu applicatio principii videtur impossibilis. Etenim TETRADIUS neque scit utrum aliquid superfluum acceperit, nec quantum acceperit; deberet quidem ille restituere *pro rata*; sed quæritur pro rata cujusnam summæ? et responderi nequit. Ergo in hoc speciali casu non videtur ad quidpiam obligari.

In quarto casu, totum retinere potest, post factam diligentem de domino inquisitionem, quia tunc dubium post possessionem jam habitam subsequutum est; et proinde possessor ille dubius, possessori bonæ fidei a fortiori æquiparandus est. Possessor autem bonæ fidei, ut suo loco jam dictum est, in pari casu, quæsito frustra domino, rem non suam servare potest. Dico *a fortiori*, quia, si possessor bonæ fidei rem aliquam servare potest, non invento domino, quando novit certo eam fuisse alienam, *a fortiori* quando dubitat an ad se vel ad alium pertineat.

In ultimo casu, totum restituere debet, quia *in dubio seu in pari causa melior est conditio possidentis*. V. *Comp. n.* 652, etc.

CASUS

DE INJUSTO DAMNIFICATORE

CASUS I.

VIR NOCENS JURE SUO UTENDO.

ZEPHIRINUS, arenæ extrahendæ gratia, in proprio prædio altam excavat foveam. Novit quidem ANDREAM de nocte per hunc locum sæpius transire; nec tamen eum admonet, ut sibi caveat. Transiens autem ANDREAS, nec ad periculum advertens, in foveam decedit, et crus frangit: quare labori consueto per duos aut tres menses vacare prohibetur.

HINC:

QUÆR. 1° *An teneatur ad restitutionem qui alteri nocet, ponendo causam indifferentem, vel justam?*

2° *Quid, si id ex odio peragat?*

3° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

624. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° *Nego*, si causa posita justa sit ex parte agentis, quia *utitur jure suo*, nec agit animo nocendi alteri; nec proinde jus illius ullum lædit, licet forte ejus damnum præviderit. Sic non peccas avertendo torrentem tibi nocivum, etiamsi prævideas illum vicino tuo futurum esse noxium.

2° *Secus*, si causa sit indifferens, nec jus strictum habeas illam ponendi. Sic peccas contra justitiam avertendo aquam non tibi nocivam, si alteri nocere debeat. Hinc solutio hujusmodi casuum a variis circumstantiis pendet. V. *Comp. n.* 603.

625. — *R. ad 2^m Quærs.* Eadem solutio probabiliter etiam danda est ac in casu præcedenti; scilicet, vel agens justam habet causam agendi, vel non: *si posterius*, injuriam alteri facit, et tenetur ad restitutionem; *secus, si prius*. Nec obstat malevolus nocendi animus, quia intentio prava nequit facere injustum quod de se justum est. Hinc non peccat contra justitiam qui avertit torrentem sibi nocivum, etiamsi intendat etiam alteri nocere, vel de damno præviso gaudeat. V. *Comp. ibid.*

626. — *R. ad 3^m Quærs.* ZEPHIRINUS graviter peccavit contra caritatem, omittendo admonere ANDREAM, ut sibi præcaveret; minime vero contra justitiam deliquit, quia justam causam habebat in proprio fundo foveam excavandi. V. *Comp. n.* 603.

CASUS II.

DAMNIFICATOR REUM EX ODI0 PRODENDO.

Vel ob spem pecuniæ proditionem simulando.

1° CAJETANUS, odio in LAZARUM percitus, vindictæ occasionem quæritabat, cum ecce rescit eum solere vinum de nocte furtim in civitatem introducere, et sic debitis vectigalibus se subducere. Impiger CAJETANUS tributorum præpositos admonet. LAZARUS igitur in ipso delicti facto deprehenditur, et ad mulctam persolvendam damnatur.

2° ELIGIUS deprehendens CAIUM in furto, ei minatur se eum denunciaturum esse, nisi aureum unum sibi eroget. Ocius obtemperat CAIUS, ad vitandam denuntiationem. Sed ELIGIUS volebat reapse denuntiationem facere; verum se eam velle facere tantum simulavit.

HINC :

QUER. 1° An CAJETANUS contra justitiam peccaverit in LAZARUM, et teneatur ad restitutionem?

2° An ELIGIUS pecuniam acceptam servare possit, sive serio voluerit CAIUM denunciare, sive id simulaverit?

SOLUTIO :

627. — R. ad 1^m Quærs. CAJETANUS graviter quidem peccavit contra caritatem ex odio agendo, non vero contra justitiam. Denuntiator enim nullum jus strictum alterius violat, quia ratione boni publici omnes jus habent reum denunciandi. Reus autem huic discrimini se committit, libere delictum patrando. Etenim, si absque odio reum denunciasset, injuste profecto non egisset: porro intentio interna non efficit injustum id quod de se justum est. Ergo... *Lacroix*, l. 3, part. 2, n. 635, 636. — *Elbel*, de *Contr. in genere*, n. 307. — *Lugo*, de *Contr. disp.* 22, n. 156. — *Lessius*. — *Sanchez*, etc.

628. — R. ad 2^m Quærs. 1° *Affirmative*, si ELIGIUS voluit serio facere denuntiationem. Constat ex dictis in responsione ad 1^m Quærs.: scilicet, quia quisque civis jus habet ad bonum publicum malefactores denunciandi, et consequenter aliquid accipiendi, ut huic juri renuntiet. *Lacroix*, *ibid.* n. 634, et alii modo citati. — V. dicenda infra de *restitut. in specie*, n. 738.

2° *Probabilius* etiam *affirmative*, licet ELIGIUS denuntiationem simulaverit. Ratio est, quia habuit jus ad accusandum, et illo jure se privat; hoc autem est pretio æstimabile: ergo juste aureus recipitur ab ELIGIO. Etenim CAIUS dat aureum ELIGIO ne habeat animum accusandi, quem habere poterat; quod autem ELIGIUS non minetur serio, est quidem dolus, sed non *injustus*; nam ELIGIUS juste poterat minari, sive habuerit serium animum denunciandi, sive non. *Lacroix*, *ibid.* n. 635. — *Lessius*. — *Sanchez*. — *Castropalao*. — *Diana*, etc., contra *Lugo*, *ibid.* n. 166.

CASUS III.

DAMNIFICATOR ULTRA VOLUNTATEM.

MEDARDUS mercatoris officinam cum duobus sociis ad aliquid emendum ingreditur. Dum de pretio cum mercatore ageret, nemine advertente, aureum horologium super abaco positum, quod ipse tamen æneum reputaverat, callidissime sustulit. Domum autem reversus, sedulius horologium intuens, aureum esse deprehendit. Sed non diu illud detinuit; eadem enim die, per urbem deambulans, horologium amisit. Paulo post MEDARDUS, pœnitentia ductus, statuit restitutionem facere, sed tantum juxta valorem tempore furti existimatum: id est, perinde ac si horologium fuisset cupreum, non vero aureum.

HINC :

QUER. 1° An existimans ex errore invincibili damnum a se illatum esse multo minus ac revera est, teneatur, re cognita, ad totum illud reparandum?

2° Ad quid teneatur in proposito casu MEDARDUS? An ad totum damnum reparandum, vel ad partem tantum?

SOLUTIO :

629. — R. ad 1^m Quærs. *Controvertitur*; probabilius damnificator tenetur tantum reparare quod inferre putavit, dummodo ignorantia ejus fuerit *invincibilis*, quia deest culpa theologica, ratione excessus damni, seu quoad damnum ignoratum, ex eo quod talis excessus nullo modo fuerit voluntarius, nec proinde imputari possit ad instar injuriæ proprie dictæ. *S. Lig.* n. 613. — *Vogler*, n. 189. — *Carrière*, n. 1151, et alii contra alios.

In praxi tamen hæc sententia non admittenda est, nisi certo de errore invincibili constet; nam, si damnum majus etiam *in confuso* tantum prævisum fuerit, damnificator illud integrum reparare debet. *V. Comp.* n. 666.

630. — R. ad 2^m Quærs. MEDARDUS tenetur ad integrum horologii aurei pretium refundendum. Ratio est, 1° quia difficile ipse indubitanter putare potuit horologium fuisse tantum cupreum: nimis enim festinanter illud surripuit, ita ut de hoc judicium certum efformare non valuerit; 2° quia, postea advertens horologium aureum esse, illud ut tale statim restituere debuit. Ergo, restitutionem differendo, fuit in mora culpabili, ratione restitutionis, et proinde omne periculum rei suscepit, non excluso quidem quocumque casu fortuito. Quapropter ad totum damnum reparandum tenetur, etiamsi ejus ignorantia de vero valore in actu furti invincibilis fuisset; quia, detecto errore, et dilata restitutione, suscepit in se ipso facto onus rem juxta verum suum valorem restituendi. — Quid vero si Medardus in principio fuisset in ignorantia vere invincibili de horologii valore, et postea, vero pretio agnito, statuisset rem ocus restituere, sed tunc aliquo impedimento prorsus involuntario cohibitus fuisset, et interea illam absque ulla culpa amisisset? R. In hac hypothesis probabiliter Medardus

eximendus foret ab obligatione restituendi excessum pretii, tempore furti invincibiliter ignorati. Tunc enim gaudere posset beneficio probabilitatis in responsione ad primum. Quæ. memoratæ.

CASUS IV.

SCANDALUM DAMNOSUM.

GABINUS, homo cupidus et rapax, messis tempore pergat de nocte ad triticum in prædio MAURITII furandum. Id peragit coram ANTONIO qui, hujusmodi exemplo impulsus, statim et ipse in idem prædium se conferens, etiam furatur, dum alioquin non erat furaturus, siquidem hac de re minime cogitasset. Cum autem GABINUS furtum suum scandalosum in confessione aperisset, a Confessario jussus est restituere non solum pro furto proprio, sed etiam pro damno ab ANTONIO illato, nisi hic pro parte sua restitueret.

HINC :

QUÆR. 1° An GABINUS restituere debeat non solum pro furto proprio, sed etiam pro furto ANTONII, ejus defectu?

2° Quid, si præviderit ANTONIUM exemplo suo ad furandum pertrahendum esse?

3° Quid, si intenderit eum exemplo suo ad furandum movere et determinare?

SOLUTIO :

631. — R. ad 1^m Quæ. *Controvertitur*. Duplex datur sententia probabilis juxta S. Ligorium, n. 537, et alios multos, GABINUS non tenetur restituere, defectu ANTONII, quia fuit tantum *occasio* furti quod hic patravit, non vero *causa efficax*, siquidem neque causa positiva, neque negativa dici potest. Causa enim ab occasione secerni debet. Affirmant vero alii cum Antoine, — Billuart, — Collet, etc., quia pravum exemplum vere influit in determinationem eorum qui damnum inferunt. V. Comp. n. 667.

632. — R. ad 2^m Quæ. Eodem modo *controvertitur*. Juxta *primam sententiam*, GABINUS non magis tenetur ad restitutionem loco ANTONII, licet præviderit furtum ejus ex suo proprio exemplo secuturum esse, quia actus ille internus prævisionis non efficit ut ipse causa efficax damni alterius evadat; remanet enim mera furti occasio. Etenim causa producit effectum, vel in effectum influit physice vel moraliter; occasio autem tantum effectum movet objective, non vero causaliter. Porro GABINUS non influxit in furtum ANTONII, neque positive, neque negative. Non quidem positive: neque enim ex parte GABINI intervenit mandatum, consilium, vel consensus aut aliqua participatio: neque etiam negative, siquidem non tenebatur ex officio furtum alterius impedire. Ergo fuit tantum furti occasio. Ita iidem contra eosdem in ratione supra allata innixos.

633. — R. ad 3^m Quæ. GABINUS *probabilius* tenetur ad restituendum ANTONIO, si de industria egerit ut eum in furtum pertraheret. Tunc enim actionem suam posuit ad hunc pravum finem, et proinde datur vera con-

nexio inter utriusque actionem, cum prior ad posteriorem ordinetur, et eo ipso ejus causa moralis efficiatur. Lugo, D. 8, n. 75, etc. Attamen hoc certum non est. Imo sententia negans videtur vere *probabilis*. Ratio est, quia, non obstante interna voluntate nocendi, actio externa eadem remanet, scilicet, mera occasio damni, seu causa per accidens. Ita Vogler. — Lessius. — S. Lig. n. 636. — V. Comp. n. 604, 667 et 669.

CASUS V.

BENEFICIUM AVERTENS 1°.

GASTONIUS in favorem FABIANI, nepotis sui, testamentum condiderat. Sed FLORIANUS, alter nepos, GASTONIO refert FABIANUM pluries irreverenter de ipso locutum fuisse. Tandem testator ira percitus, testamento dilacerato, FLORIANUM hæredem instituit, et paulo post e vivis excessit.

HINC :

QUÆR. 1° An, vel quando ad restitutionem teneatur ille qui alium impedit ab alicujus beneficii consecutione?

2° An FLORIANUS FABIANO hæreditatem restituere debeat?

SOLUTIO :

634. — R. ad 1^m Quæ. Tenetur ad restitutionem qui *injuste* alium impedit a consecutione alicujus boni. Porro potest quis *injuste* impedi in duplici casu: 1° si *jus strictum* habeat ad rem consequendam, v. g. in casu concursus ad præmium, beneficium, dignitatem, aut munus quodcumque; 2° si impediatur mediis de se *injustis*, v. g. *vi, fraude, calumnia, metu gravi*, etc.

Non autem tenetur ad restitutionem qui alium impedit a consecutione alicujus boni ad quod hic jus strictum non habet, per modos non injustos de se, v. g. per consilium, preces, etc. S. Lig. Hom. ap. n. 61. V. Comp. n. 671.

635. R. ad 2^m Quæ. *Affirmative per se*. Ratio est, quia FLORIANUS modis injustis, scilicet detractioe et calumnia, FABIANUM a consecutione hæreditatis GASTONII impedit. FABIANUS enim, ut videtur, hanc hæreditatem erat certo consecuturus, cum jam hæres fuerit constitutus, et testator paulo post de vita excesserit. Quare non est præsumendum quod voluntatem mutavisset. Secus tamen dicendum esset si FLORIANUS, non ex odio vel cupiditate, sed æquitatis amore, seu ex causa rationabili manifestasset GASTONIO defectus graves, ex quibus FABIANUS omnino indignus hæreditate judicaretur.

CASUS VI.

BENEFICIUM AVERTENS 2°.

HYPARCUS, vir æque pius et dives, jam pridem hinc et inde dictitaverat se velle cuidam religiosæ familiæ 1,000 fr. legare. Cum in morbum gravem incidisset, requirit ut notarius cum duobus testibus advocetur, suam ulti-

mam voluntatem excepturus. Ast MARINUS, ejus filius, qui de pio patris proposito audierat, fingit nuntium ad notarium mittere, et paulo post subdole respondit, notarium in præsentibus obtineri non posse. Hinc accidit ut pater absque testamento moreretur, et filius in omnia ejus bona succederet.

HINC :

QUÆR. 1^o An MARINUS aliquid vel quantum dare teneatur communitati prædictæ?

2^o Quid vero, si MARINUS ex odio in hanc congregationem patri suasisset, ut nihil ei daret?

SOLUTIO :

636. — R. ad 1^m Quærs. 1^o MARINUS tenetur ad resarciendum damnum Religiosis illatum, quia, ut apparet ex casu, patrem impedivit a legato ipsis faciendo, per fraudem, seu perniciosum mendacium, quo asseruit haberi non posse notarium. Filius ille nequam non solum injuriosus fuit erga communitatem, sed etiam erga patrem, cujus sanctam intentionem perniciose et subdole impedivit, contra ipsius voluntatem.

637. — 2^o Attamen MARINUS obligandus non videtur ad mille francos integros monasterio erogandos, quia res adhuc a mutabili voluntate testatoris pendebat, sed restituere debet *pro rata* spei quæ communitati affulgebat. Quantum autem restitui debeat, difficillimum est statuere, et res maxime a variis circumstantiis pendet, v. g. a majore vel minori spe; etc... Videtur autem filium suæ obligationi satisfactorum esse, si dimidiam legati partem in communitatem conferat. Etenim prædicta congregatio nullum adhuc jus habuit ad ipsum legatum, sed tantum jus habuit ne fraudulenter impediretur a spe illud obtinendi. Jus autem illud non videtur tanti valoris, ut dimidium legati excedat. *Elbel*, n. 106.

638. — R. ad 2^m Quærs. Si ex odio in hanc congregationem MARINUS patri suasisset ne quidpiam illi legaret, sed potius alteri, vel etiam totum sibi relinqueret, probabiliter ad nihil teneretur. Ratio est, quia illa suo, sine vi vel fraude facta, non est contra justitiam. Nec obstat quod ex odio fiat, quia sequitur inde peccatum contra caritatem tantum, non vero contra justitiam. Ergo in illa hypothesi MARINUS ad nullam reparationem damni teneretur. *Elbel*, n. 108. — *Tambur.*, etc.

CASUS VII.

LUGENDUS ERROR.

PHILEAS, seminarii alumnus, occasione data, humana inductus fragilitate, grave furtum in seminario patrat. ALBINUS, alius alumnus, ex gravi suspitione de hoc delicto accusatur atque e seminario ejicitur. Ecce misero aliud ex hoc instat infortunium : ad militiam sorte requiritur, et castra petere compellitur. Obtinet tamen ut, soluta bis mille francorum summa, alium militem sibi substituat. Sed ad PHILEAM redeamus. Hic, statim, ac intellexit causam ALBINI instrui, pœnitentia ductus, furtiva pecunia clam restituta, incognitus insolito Sacerdoti confitetur, tacita tamen infortunii

ALBINI circumstantia. Conscientiæ vero stimulis iterum agitatus, ordinario suo Confessario rem totam aperit. Confessarius autem pœnitentem obligat ad resarciendum totum damnum quod passus est ALBINUS pro milite conducendo, ex eo quod debuisset et facile potuisset, etiam non se prodendo, Superiorem, per Confessarium vel alium prudentem virum, de errore commonefacere.

HINC :

QUÆR. 1^o Quid dicendum de prima confessione PHILEÆ?

2^o An recta sit secundi Confessarii sententia? seu an PHILEAS contra caritatem et justitiam graviter peccaverit?

3^o Quid ipsi fuisset, vel quid nunc sit agendum?

SOLUTIO :

639. — R. ad 1^m Quærs. Nihil prorsus videtur in prima confessione PHILEÆ reprehendendum; siquidem neque dolore, neque integritate caruit. Nec obstat quod circumstantiam ALBINUM respicientem tacuerit : illa enim circumstantia ad ipsius confessionem minime pertinebat; siquidem neque damnum ALBINI prævidit, neque hujus efficax causa fuit, neque adhuc attendit ad obligationem, ratione caritatis, damnum socii avertendi, procurando ut Superior secreto moneretur de ejus innocentia. Proinde fuit mera damni ejusdem occasio, ut dictum est supra in casu AUDIFACIS, *casu 1, de furto*, n. 567.

640. — R. ad 2^m Quærs. 1^o PHILEAS peccavit quidem graviter contra caritatem *per se*, si adverterit ad modum facilem avertendi damnum condiscipuli. Quisque enim tenetur ex caritate damnum grave alterius impedire, quando facile potest.

2^o Non peccavit autem contra justitiam, cum non fuerit *causa efficax* damni ALBINI, sed *mera* ejus occasio. Ergo injuste damnatus est a suo Confessario ad damnum illud resarciendum. Sed, ais, potuisset damnum illud secretissime impedire per Confessarium qui rem, tacito nomine, Superiori retulisset. — R. Quid inde? Sequitur ad summum illum peccasse contra caritatem, non vero contra justitiam.

641. — R. ad 3^m Quærs. 1^o Quid facere debuisset PHILEAS, jam satis liquet ex dictis. Onus enim ex caritate ipsi incumbere rem quamprimum Confessario, vel alteri viro prudenti deferre, ut ejectio alterius impediretur? 2^o Quid vero sit nunc faciendum? In quantum fieri potest, quin seipsum prodat, PHILEAS debet, per Confessarium vel alia ratione efficere ut fama ALBINI apud Superiorem et alios restituatur, ita ut in seminarium revocari possit, si velit, et vocationis suæ jacturam non ferat.

CASUS VIII.

CAUPO ALIIS ET SIBI BONUS.

PHILONICUS, caupo, indole et industria comis et suavis, lucrificandi gratia viam ab aliis prorsus diversam amplectitur. Etenim, dum cæteri ejusdem status et conditionis mercium ciborumque pretium extollunt et

exaggerant, ipse, modico contentus lucro, res suas pretio notabiliter minori hospitibus tribuit. Ut præviderat succedit eventus : undique enim ad ipsum confluunt hospites, et numero abunde compensat quod de pretio detrahit. Sed ecce ingens exoritur tempestas, aliorum scilicet cauponum, qui, cum hospitia sua deseri cernant, contra PHILONICUM inflatis buccis vociferantur. Hinc fit ut, cum ad confitendum accedit, a confessario carpatur, et de gravi peccato tum contra caritatem, tum contra justitiam damnetur, atque prohibeatur severe ne id peragere prosequatur.

HINC :

QUÆR. 1° *An revera PHILONICUS contra caritatem et justitiam graviter peccaverit, si pretium rerum non fuerit lege determinatum?*

2° *Quid vero, si pretium rerum aliqua lege determinatum fuerit?*

3° *Quid sentiendum de moderatoribus curruum publicorum (diligentes), qui pretium transvectis imminuunt, ut concurrentes corruant? Et quid, si peregrinos gratuito prorsus transvehant?*

SOLUTIO :

642. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° PHILONICUS non peccavit contra justitiam erga caupones. Etenim habet dominium perfectum suorum victualium; ergo, quemadmodum posset ea hospitibus omnino gratis concedere, ita etiam eadem minori pretio quam alii vendere potest. Ergo nullam injuriam aliis irrogat, nec ad ullam restitutionem tenetur, quia jure suo utitur. Nec obstat quod cæteri caupones damnum patiantur, quia non tenetur PHILONICUS lucrum notabile dimittere, ut damnum aliorum impediatur. Possunt quoque alii idem facere, si velint. *Elbel, de Rest. n. 99. — Lacroix, l. 3, part. 2, n. 81.*

643. — 2° Nec peccavit contra caritatem, quia licitum est cuilibet lucrum modis licitis quærere : at minori pretio vendere, de se non est modus illicitus; ergo... Præterea caritas non obligat aliquem, ut hono aliorum consulat cum notabili suo detrimento. Ergo PHILONICUS neque peccavit contra caritatem, neque contra justitiam. Ergo minime in sua praxi est inquietandus. *Elbel, ibid.*

644. — *R. ad 2^m Quæst.* Si pretium rerum lege determinatum fuerit, PHILONICUS in eo casu peccat contra obedientiam Principi vel Magistratui debitam, et etiam contra justitiam, quia Princeps, ad pacem et æquitatem in rempublicam servandam, prohibere potest ne tale genus mercium majori vel minori pretio vendatur. Pretium autem auctoritate publica determinatum, est justum, et proinde aliud est injustum. Attende autem ad legis præscriptionem; si enim prohibeat ne pretium tale excedatur, non ideo impedit ne imminuatur. *Elbel, n. 100.*

645. — *R. ad 3^m Quæst.* Non peccant contra justitiam, ut patet ex dictis. Facile autem peccant contra caritatem, qui agunt ex odio, invidia, et ruinam aliorum intendunt, ut ipsi soli subsistant. Nec adeo munifici appa-

rent, nisi, ut postea, cessante concursu, miseros viatores summo et excessivo pretio gravent et obruant. Proinde minime laudandi sunt, si pretium adeo deprimant, ut non tantum videantur ad se attrahere homines vehendos, sed etiam nihil intentatum relinquere ut concurrentes corruant.

CASUS IX.

ERRANS IN DAMNO 1°.

1° COCLES, cum nocte surrexisset ad vastandam vineam SIMONIS, inimici sui, errans mediis in tenebris, vineam LUCII, animi sui, vastavit.

2° CURTIUS, DIDYMO potum petenti, poculum venenatum, ex intentione necis, porrigit. JULIUS præsens, jocandi gratia, poculum e manibus DIDYMI eripit, bibit, et paulo post vitæ valedicit.

HINC :

QUÆR. 1° *An damnificator teneatur ad reparandum damnum quod fecit quidem, sed facere noluit?*

2° *An COCLES, ad damna vineæ LUCII reparanda, teneatur in primo casu?*

3° *An CURTIUS ad aliquid teneatur pro damnis quæ familiæ JULII evenerunt, in secundo casu?*

SOLUTIO :

646. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° *Nego*, si damnificator damnum illud non prævidit, ne *in confuso* quidem; quia damnum illud non est voluntarium ex parte damnificantis, nec proinde ei imputandum. TITIUS, v. g., vult occidere PETRUM, inimicum suum, quem solum cernit, et, PETRO illæso, occidit PAULUM quem non viderat, nec suspicabatur esse præsentem; TITIUS ad damni reparationem non tenetur erga familiam PAULI, quia homicidium fuit tantum *casuale*, minime vero voluntarium.

2° Si vero damnificator velit rem præsentem destruere, aut deteriorem facere, putans eam pertinere ad PETRUM, inimicum suum, dum pertinet ad PAULUM, videtur teneri ad damni reparationem, quia simpliciter rem talem, præsentem, determinatam, destruere voluit. Attamen S. *Ligorius* sententiam oppositam *probabilem* censet cum *Lugo*, etc.

647. *R. ad 2^m Quæst.* Videtur ad restitutionem damnandus COCLES, saltem juxta communiorem et probabiliorem sententiam, ut modo dictum est. *V. Comp. n. 664.* Attamen, juxta doctrinam S. *Ligorii*, COCLES ad restitutionem urgendus non esset.

648. — *R. ad 3^m Quæst.* CURTIUS ab omni onere restitutionis solvendus est, si JULIUM a poculo bibendo impedire non potuit absque sceleris manifestatione et vitæ periculo. Ratio est, quia mors JULII minime fuit CURTIUS voluntaria, siquidem casum hunc prævidere non potuit; nec tenebatur cum certo vitæ periculo mortem alterius non prævisam avertere. Igitur per accidens tantum, et præter CURTIUS voluntatem, mors JULII evenit. Ergo CURTIUS non fuit causa efficax mortis JULII, sed mera occasio; JULIUS enim semetipsum enecavit, poculum non sibi destinatum bibendo. *Vogler, n. 175.*